

www.e-rara.ch

Pars III

Plutarchi symposiacorum, seu convivalium disputationum, liber septimus

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [\[Link\]](#)

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [\[Link\]](#)

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [\[Link\]](#)

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [\[Link\]](#)

& combvsti cinis lixiuium præbet summa tergend
vi præditū. Hæc verò omnia sunt caloris. Iam quòd
succus eius lac coagulat iniectus, sunt qui dicant
non fieri inæqualitate figurarum lactis quæ ab eo
5 appræhandantur & conglutinentur elisis in super-
ficiem læuibus ac rotundis: sed quòd ob calorem
eliquet humoris instabiles & aquosas partes. Argu-
mento etiam est id, quòd inuutilis succi dulcedo sit,
quia potum facit pessimum. Non enim læue ab in-
10 æqualibus, sed frigidum & crudum à calore sistitur,
& ad hoc sales faciunt, vtpote calidi: repugnant
autem isti appræhensionì & glutinationi, cùm maxi-
mè natura iis vim dissoluendi dederit. Spiritum igitur
calidum, acrem, incidendisque vi præditum fi-
15 cus emittit: isque incidit & concoquit carnem auis.
Idem fit si frumenti aceruo imponatur, aut iuxta
nitrum: calore id efficiente. Esse autem triticum ca-
lidum colligunt ex amphoris, quibus in tritico po-
sitis vinum celeriter consumitur.

PLVTARCHI

Symposiacorum, seu Con-
uiuialium disputationum,
Liber septimus.



30 **S**CITI hominis atque humani di-
ctum, Sossi Senecio, in ore habent
Romani, quisquis ille fuit: qui cùm
aliquando solus cœnasset, Se edis-
se isto die, non cœnauisse pro-
35 nūciauit. nimirum cœnam semper
indigere communitate quadam & amicicia quæ ei
suauitatem pararet sentiens. Euenus quidem ignem

Hiad. 1, 214. condimentorum suauissimum dixit. salem Homerus diuinum, plerique Gratias appellant, quod plurimis rebus admixtus gustui eas commodas, gratiosasque & iucundas reddat. Cœnæ autem & mensæ condimentum reuera diuinissimum est amicus præfens, familiarisve aut notus homo. nō quod vnà edit & bibit, sed propter communicationem colloquij: modò aliquod sit in vtròq; dictis operæ precium. multis enim inanis inter pocula loquacitas prauos animi motus iniicit atque pervertit. Itaq; in rem est non minus sermones quàm amicos probare, quos ad cœnam adhibeas. Estq; hæc aliter sentiendum ac pronuntiandum, quàm Lacedæmoniis placuit. Ii enim si adolescentem aut hospitem in Phiditia accepissent, foribus commonstratis, Hæc, aiebant, nullus egreditur sermo. Nos si nosmet condofecerimus ad rectè loquendū, licebit nostros sermones omnes apud quosvis homines efferre: quod eorum argumenta nihil habent impudicū, nihil maledicum, nihil malignum, nihil illiberale. Idque iudicari potest ex hisce exemplis, quorū hic liber decuriam septimam continet.

QVAESTIO PRIMA.

Timao.

Ad eos, qui Platonem reprehendunt, quòd potum deferri per pulmonem dixerit.

AESTIVO tempore quidam vnà bibentium verficulū illū qui omnibus in ore est fortè protulit:

Pulmones madefac. astrum etenim nunc oritur, mero.

Tum Nicias Nicopolita medicus: Mirum nō est, inquit, ab Alcæo homine poëticæ dedito ignoratum fuisse, quod etiam Platonem fefellerit. Quanquam Alcæus quidem defendi vtcunque potest. nam probabile est pulmonem stomacho vicinum liquore etiam frui, eoque rigari. Plato autem ita disertè scribens potum per pulmonem trāsire, etiam iis qui ad defen-

defendendū ipsum animo sunt promptissimo, nullam
verisimilis rationis occasionem reliquit. Error enim
magnus est. Primū quia necesse est humidum nu-

5 bobus commune vas subiici stomachum, qui cibum
mollem & madefactum in ventrē didat inferiorem.
Deinde cū pulmo vndiquaque læuis sit & densus,
quomodo farina cum potione hausta exibat, & non
in eo retinebitur? nam & hoc vnum est de iis, quæ

10 adversus Platonem Erasistratus rectè obiecit. Iam
cū in plerisque partibus corporis finis & vsus con-
sideretur à philosopho, ad quem à natura sit factum
vnumquodque: etiam lingulæ, quæ epiglottis dici-
tur, perpendenda fuit utilitas. Non enim supervaca *

15 nea est: sed eò collocata, vt interim dum deglutitur
alimentum, asperam arteriam constringens obster,
ne quid omnino in pulmonem incidat. nam si quid
illabatur, id tussi vehementem facit asperitatem &
lancinationem. Proinde epiglottis ianuæ instar in-

20 tergerinæ in vtranque partem inclinari se sinens, lo-
quentibus nobis stomacho incidit, edentib. aut bi-
bentibus arteriæ, mundum spiritui cursum respira-
tionemque seruans. Porro qui sensim bibūt, eorum
scimus humidiores esse ventres quàm qui confer-

25 tim humorem hauriunt. his enim potus rectà in ve-
sicam impetu transit: apud illos diutiùs inhæret ci-
bus, eósq; emollit, vt permisceatur & maneat. quod
neutiquam eveniret, si humor statim inter haurien-
dum secerneretur. Sed nos complectimur, simulque

30 cum cibo eum in ventrem demittimus: & vt Eras-
stratus dixit, liquore tanquam vehiculo siccī nutri-
menti utimur. Hæc Nicia locuto, Protogenes gram-
maticus: omnium, ait, primus Homerus animad-
vertit cibi vas esse stomachum, potus autem aspe-

35 ram arteriam, quæ bronchus, & antiquis aspha-
ragus dicitur, vnde & vocalibus hominibus eri-
spharagorum appellatio obtigit. Nam cū dixisset

quomodo Hectoris Achilles hasta petierit
Ilia. x. 325. Fauces, accelerant ubi ualdè uulnera mortem: addie,

Non tamen asphragum simul abscidit, —
 canalem nimirum spiritus *

Sub hæc orto silëtio Florus: itâne, inquit, Platonem
 deserto vadimonio reum peragi sinemus? Nequa-
 quam verò, inquam ego: ne damari vnà cū Platone
 sinamus Homerum. Hic enim tantum abest ut hu-
 morem ab arteria avertat, ut cibum quoque etiam
 vnà iniiciat. 10

Odyss. i. 373. Ille cructauit per fauces frustra cruento.

Mixta mero, —

nisi vel hoc dicere quis sustineat, Cyclopi ut ocu-
 lum, ita etiam meatum nutrimenti fuisse vnicum: 15
 aut faucium vocabulum, quæ est pharynx Homeri,
 omnibus & priscis & recentioribus pro arteria ac-
 cipientibus, nos ad stomachum detorquebimus. Atq;
 hæc non inopia testium, sed veritatis studio adduxi
 impulsus. Etenim testes Plato cum multos, tum præ- 20
 claros habet. Omitte enim si lubet Eupolin, qui in
 Colacibus seu Parasitis, ita dixit:

Potare iussit Protagoras, ut Sirij

Pulmonem habeat sub ortum ardentis humidum.

omitte etiam elegantem Eratosthenem, qui scripsit, 25

Dulci pulmones irriguisq; mero.

Euripides quidem liquidò ostendit se acutiùs non-
 nihil Erasistrato vidisse, his verbis,

Vinum canales per pulmonis transiens.

Vidit nimirum pulmonem cauernas habere, & per- 30
 tusum esse meatibus, per quos humor permeet. Non
 enim spiritus opus habuit meatibus quibus educe-
 retur: sed propter humorem & quæ vnà cum eo il-
 labuntur, coli instar foraminibus multis est apertus
 pulmo. Neque minùs, mi homo, pulmoni conuenit 35
 quàm stomacho, vnà eiicere polentam aut farinam.
 Non enim stomachus noster est, ut quidam opinan-
 tur, læ-

tur, lævis & lubricus : sed asperitates habet, quibus probabile est cum incidunt tenuia & exilia, adhærescere ea, & non deglutiri. Sed neque hoc dici, neque illud commodè potest. Nullis enim verbis exprimi potest naturæ in obeundis actionibus suis industria. neq; dicendo dignè explicari potest eius instrumentorum solertia, spiritus inquâ & caloris. Porro autem testem Platoni cito Philistionem Locrensem, perverustum hominem, qui vestra arte magnam sibi gloriam paravit: atq; Dioxippum. ij enim non aliam viam ab ore enarrant, quàm quæ est à Platone indicata. Neque verò illam tanto honore dignatam epiglottidem ignoravit Dioxippus. sed ad eam ait humorē in deglutiendo secerni, in arteriâq; delabi, devolvente se in stomachum cibo. & in arteriam sanè esculentorum nihil incidere : stomachum vnâ cum sicco nutrimento etiam aliquâ humidi partem admixtam excipere. Est verò hoc probabile. Nam epiglottidem ait arteriæ præpositam esse veluti sepimentum & penu, vt sensim paulatimque potum percolet, ne subito confertim ve infusus spiritum opprimat aut turbet. Itaque etiam aues carent epiglottide. non enim hauriunt aut lambūt potum, sed rostris immerfis paulatim eum in arteriâ dimitunt atq; sic eam rigant. Enimverò testium satis est. Platonis dicto primū ipse fidem conciliat sensus. nam arteria vulnerata nō deglutitur humor, sed veluti canali rupto foras erumpere, & tanquam per fistulam proflire cernitur : quantumvis integro interim illæsoque stomacho. Id quoque omnes novimus, affectionibus circa pulmonem comitari ardentissimam sitim, ob siccitatem aut calorem, aliâve causam vnâ cum inflammatione appetitū ingenerantem. Evidentius etiam hoc est indicium, quòd animalia vel nullum vel admodum paruum habentia pulmonem, omnino potu non indigent, neque eum expetunt. eo quòd certis partibus innata est humidi-

tatis appetentia, quæ verò partibus iis carent, neq;
 vsus eius est, neque cupido. Denique videbitur ve-
 fica frustra esse data. Nam si stomachus vnà cum ci-
 bo potum excipit, inque ventrem demittit: nullo pe-
 culiari opus erit meatu alimento sicco, sufficietque
 vnus communis ambobus per idem foramen ean-
 dem in sentinam conuectis. Nunc seorsim vesica
 est, seorsim intestina: quòd nutrimentorum alte-
 rum à pulmone, alterum à stomacho pergit, ipsa in
 deglutitione seiunctorum. Inde est, quòd in excre-
 mento humido nihil visitur sicci simile vel colore
 vel odore. atqui natura ferebat, vt si in ventre cum
 eo cõmiseretur, qualitatibus etiam eius imbueretur,
 neque purum & incontaminatum fecerneretur.
 Sed ne lapis quidem vnquam in ventriculo concre-
 uit. at verò rationi erat consentaneum, non minùs
 ibi quàm in vesica humorem cogi ac con crescere, si
 omnis potus per stomachum eò ferretur. Enim ve-
 rò apparet stomachum de humore per arteriã præ-
 terlabente statim attrahere, quantum sufficit ad me-
 diocriter emolliendum, inque succum converten-
 dum nutrimentum. itaque nullum humidum is re-
 crementum facit. pulmones autem, quando è potu
 spiritum & humorem quibus debuit partibus distri-
 buerunt, reliquum in vesicam excernere. Hæc certè
 multo sunt illis probabiliora. Veritas ipsa in talibus
 rebus fortassis compræhendi non potest. neq; de-
 cuit tam contumaciter impetere philosophorũ glo-
 ria & facultate principem, Platoniorum in scripto-
 rum relectione, ob rem obscuram, tótq; disputatio-
 nibus expositam.

QVÆSTIO SECVNDA.

*Quid sit apud Platonem Kerasbolos, & cur semina
 quæ in boum incidere cornua, incocti-
 bilia & dura fiant.*

SEMPER quærendi materiam præbuerunt Keraf-
 bolus & Ateramon. non quid significarent, (li-
 quet

quet enim ea semina quæ in boum cornua incidunt, fructum edere durum & incoctum creditum fuisse: atque inde vocabulo translato hominē præfractum atq; contumacem ateramona & Kerasbolon dictum.) sed de ipsa causa dubitatum fuit, cur hoc seminibus in boum cornua incidentibus accideret. Ego sæpe denegaui amicis causæ inventionē: maximè quòd eam inveniri non posse Theophrastus innuisset, cum multis collectis, quorum nos causas fugerent, inveniri non possent, (quod genus sunt quòd gallina postquam ouum edidit, festuca adhibita sese lustrat: quòd vitulus marinus coagulum suum deglutit: ceruus cornu suum defodit: eryngium, si vna caprarum id in os sumat, vniuersum gregem sistit.) etiam illam de Kerasbolo adiunxisset quæstionem: vbi res quidem creditur, sed causa aut neutiquam potest, aut difficillimè inveniri. At enim Delphis in cœna sodalium quidam me cōpel-
larunt: dicentes non modò

20 *Consilium melius iam repleta incidere aluo,*
sed etiam ad respondendum de propositis quæstionibus à vino nos reddi multo quàm aliàs alacriores & audaciores: ideòque poscentes vt de proposita re aliquid pronunciarem. Ego cum id denegarem, ad-
25 stipulatores habui non viles, Euthydemum sacerdotij collegam mihi, & Patrocleum adfinem: qui non pauca id genus ex agricultura & venatione proferebant. quale est quòd grando ab iis qui ei obseruandæ sunt præfecti sanguine talpæ, vel centonibus muliebribus avertitur. quòd fructus caprifici syluestris
30 alligatus hortensi ficui, non sinit fructum huius defluere, sed continet atq; vnà maturat. quòd ceruas, vbi capiuntur, salسام lacrymam, apros dulcem emittere est depræhensum. De quibus si inquisitionem
35 suscipias, illicò Euthydemus abs te postulabit rationem de apio & cumino. quorum illud inter germinandum si calcetur & conteratur, aiunt melius auge-

scere: hoc si ferant diris imprecationibus & conviciis adhibitis. Hæc cum Florus risum iocumque putaret, de istis autem non debere causæ tanquam incomprehensibilis investigationem omitti: reperi, inquam, medicamentum, quo usus hunc adducas ut adversus nos dicat: ut tu quoque solvas quædam propositorum. Videtur mihi frigus istam indomitam rigiditatem (quod est ateramon) tritico & leguminibus ingenerare, comprimens & cogens habitum usque ad duriciem. calor autem dissolubiles res, mollesque redigit. Itaque non rectè contra Homerum hoc à quibusdam dicitur,

—non tellus fruges, sed suggerit annus.

Nam quæ loca calorem habent natura insitum, temperiem aëre mitem præbente, molliores efferunt fruges. Ergo quæ à manu statim in terram perveniunt femina, ea penetrantia fouentur, ac magis dum occultantur, calore ac humore terræ fruuntur. Quæ vero in boum impingunt cornua, ea non potiuntur illa, quam Hesiodus optimam vocat, positus comoditate: sed de labentia & loco suo aberrantia, iactata magis quam sata videntur. proinde aut frigoribus planè corrumpuntur, aut his eorum in nudas incidentibus tunicas rigida, exsucca, & lignosa redduntur. Vides nimirum lapidum quoque & lignorum partes terra contentas atque stirpes molliores iis conservari à tepiditate soli, quam sint quæ eminent. itaque etiam fabri lapides operi habiles defodiunt sub terram, tanquam maturandos & coquendos à calore: qui sub dio nudiq; iacent, frigore rigidi & instabiles rediguntur, operisq; resistunt. Fructus quoque etiam si in area maneant diutius sub dio & nudi, magis ferunt dirigescere, quam qui statim condecuntur. sæpenuero etiam ventus ventilantibus superveniēs, frigore suo fruges præduras efficit. quod Philippis Macedonica vrbe aiunt evenisse. reconditis palea opitulatur. Mirari autem non debemus, si audia-

audiamus agricolas narrare, de duobus contiguis
sulcis alterum incoctibilem fructum ferre. & quod
maximum est fabarum alias alium gignere satum su-
ferum. nimirum quod aliis plus, aliis minus spiritus
frigidi vel aquæ incidit.

QVAESTIO TERTIA.

*Cur vini medium, olei summum, mellis imum
sit optimum.*

DERIDEBAT focer noster Alexion Hesiódū, Oper. 365.
qui è summo & imo dolio iuberet vinum bibe-
re, medio parcere, quod ibi vinum esset optimum.
Quis enim ignorat, aiebat, vini medium, olei sum-
mum, mellis infimum esse optimum? at Hesiodus
nos vult omisso quod in dolij medio est vino exspe-
ctare, donec dolio deficiente vinum deterius fiat.
His dictis valere iussio Hesiodo, se contulerūt ad cau-
sam diuersitatis inquirendam. Ac de melle quidem *Mel.*
ratio non multum nobis exhibuit negocij: cum ne-
mo ferè nesciat id quod leuissimum est, ob rarita-
tem esse leuissimum, densa ob grauitatem subside-
re. atque etiam si vas subvertas, tamen rursus exi-
guo tempore vtrunq; suum locum occupauerit, gra-
ui se demergente, leui ad superficiem efferente. Ne
de vino quidem probabilia defuerunt argumenta. *Vinum.*
Primum vis eius calor cum sit, consentaneū est eum
maximè in medium conduci, idque ibi optimū con-
seruare. deinde quod in fundo est, facit vitari: quod
in summo, ab aëre vicino corrumpi. Nam nouimus
ab aëre vinum lædi: ideoque dolia defodere aut in-
tegere solemus, vt quàm minimum aëris ea tangat.
& quod maximum habet momentum, aër non ita fa-
cilè nocet pleno vase vino, vt aliquantum vacuato.
nam in exhausti locum aër confertim subiens, maio-
rem infert mutationem. in plenjs dolijs vinū ipsum
se se sustentat, non multum extrinsecus admittens,
vnde vitari possit. De oleo non vilis incidit dispu- *Oleum.*

ratio. Quidam imum olei dicebat esse deterrimum,
quia id amurca conturbetur: neque ideo summum
esse optimum, verum ideo videri, quia ab eo quod
ei officit longissime absit. Alius densitatem causaba-
tur, ob quam nulla cum re permiscetur, neque ullum
alium humorem in se admittit, nisi violentia & ictu
diffundatur. unde fit, ut aerem quoque non recipiat,
sed eum tenuitate atque continentia suarum partium
à se repellat, neque ab eo, utpote non prevalente, cor-
rumpatur. Huic rationi Aristoteles videbatur repu- 10
gnare, qui (ut ait) obseruauisset oleum quod in re-
conditis est vas, odoratus fieri, & omnino melius.
deinde aëri causam, quod reddatur melius, adscri-
bit. est enim largior, magisque preualet, si subeat in
* vas non repletum. Quid verò, inquam ego, si aer ea- 15
dem vi & prodest oleo, & obest vino. Etenim vetu-
stas vino conducit, oleo nocet. aer utrique accides,
aufert. Nam humorem refrigeratum digerit. oleum
autem ob continuitatem expiratione carens, facile
* veterascit. * dictum probabiliter. quia in superfi- 20
cie accidens aer, recentia facit. itaque vini summum
est vilissimum, olei optimum. nam ætas oleum pes-
simè, vinum optimè adficit.

QVAESTIO QVARTA.

25

*Cur veteribus Romanis mos fuerit, nunquam omnino
inanem mensam tollendo facere, neque lucernam
vnuquam exstingui sinere.*

FLORVS Philarchus nunquam ita sinebat planè
mensam tolli, ut non aliquid cibi in ea relinque-
retur. aiebátque sibi probè compertum, non hoc mo-
do patrem auumque ipsius studiosè curasse, sed ne lu-
cernam quidem passos à cœna exstingui, alioqui ca-
uere solitos ne oleum frustra insumeretur. Aderat 35
vnà Eustrophus Atheniensis. Is, Quid proderat hoc,
aiebat, iis, nisi astum Polycharmi nostri didicerunt?
qui se

qui se multo tempore meditatum dicit, vix tandem invenisse quomodo caueret ne oleum pueri suffurarentur. statim enim se extinctas lucernas oleo implere, & postridie visere an etiamnum plenæ sint.

5 Tum Florus ridens, Quando, inquit, hæc quæstio soluta est, agedum causam dispiciamus, qua inductos priscos probabile sit istam lucernis mensis quæ adhibuisse cautionem. De lucernis prius quæsitum fuit. Ac sententia Cæternij, quem is generum habebat,

10 hæc fuit, Antiquos ob cognationem cum sacro & perenni igne omnis ignis interitum abominatos fuisse. eum autem, ut hominem quoque, interire vel vi extinctum, vel naturæ suæ ductu elanguescentem. ac sacro quidem igni adversus utrumque opem ferri semper alendo & custodiendo: alterum passos fuisse utrumque

15 trahere ad extinguendum, si ipsi vim non fecissent, neque tamen ei vitam invidisse tanquam pecudi quæ frustra aleretur. Sub hæc Lucius Flavius dixit, reliqua sibi probari: ceterum sacrum ignem non ideo fuisse cultum, quod

20 eum alio igne putarent meliorem dignioremve esse. sed quemadmodum Aegyptiorum alij totum genus canum venerantur atque honorant, alij luporum, alij crocodilorum, unicuique tamen vel canem, vel lupum, vel crocodilum alunt, quia universos non

25 possunt: sic priscorum cultum & custodiam sacri istius ignis, tesseram fuisse observantiæ adversus omnes ignes. Nihil enim animato similis esse quam est ignis: qui per se movetur & nutritur, suoque splendore animæ in morem res manifestat omnes: & maxime vim non expertem vitalis principij ostendit dum exstinguitur ac perit: inter pereundum vocem edens, ac reluctans interitui, animalis instar quod vi necatur. Nisi tu, aiebat, in me respiciens, melius habes aliquid. Ego vero, inquam tum, nihil eorum

30 quæ dicta sunt reprehendo. Adderem autem, hunc morem condocerent ad humanitatem inferuisse. Nam neque fas nobis est nutrimentum perdere

vbi affatim nos saturati fumus, neq; fontem obthu-
 rare aut occultare quando aquæ satis bibimus, neq;
 signa nauigationis itinerisve abolere postquam vfi
 fumus iis. Sed relinquenda ista sunt, vt aliis etiam
 post nos vsui esse possint. Proinde indecorum e-
 tiam est ob auariciam lumen lucernæ, quando eius
 vsum porrò nos non desideramus, extinguere. sed
 conseruandum relinquendūmq; est, si quis fortè ve-
 niat cui eo etiamnū ardente & splendente sit opus.
 Quippe, si fieri quiret, etiam visum atque auditum, 10
 immò prudentiam quoque & fortitudinem aliis v-
 tendam dare debebamus ipsi dormituri aut quietu-
 ri. Hoc verò considera, an non gratitudinis medi-
 tandæ causâ antiqui neutiquâ absurdè nimij in hoc
 fuerint genere: cùm & quercus venerarentur fru- 15
 giferas, & ficum quandam Athenienses sacram ap-
 pellarent, & morū excindi prohiberent. Non enim
 hæc ad superstitionē faciunt propensos, quod non-
 nulli dicunt: sed in rebus sensu animæque carenti-
 bus ad studium referendæ mutuò gratiæ præstan- 20
 dæque operæ nos adsuefaciunt. Itaque rectè Hesio-
 dus vetat cibum apponere ex ollis, nondum libato:
 sed igni vult suas primitias suūmq; ob ministerium
 offerri honorem. rectè Romani quòd alimentum lu- 25
 cernæ dedissent, iis vfi reliquerunt, paucisq; sunt vi-
 uere & fulgere. Hæc ego cùm dixissem, Eustro-
 phus: Ista, inquit, etiam ad rationem de mensâ quæ-
 siti aditum præbent. Nimirum semper aliquid cen-
 suerunt à cœna relinquendum seruis & vernulis.
 gaudent enim communicatione hac magis, quàm 30
 alioquin accipiendo. Iccirco Persarum reges, vt fer-
 tur, non amicis modò & proceribus ac stipatori-
 bus solebant de cœna portiones mittere: sed sem-
 per seruorum quoque & canum cœna in ipsorum
 mensâ proponebatur. cùm, quantum omnino fieri 35
 poterat, omnes quorum utebantur opera, suæ men-
 sæ facerent participes, nam cibi communicatione
 etiam

Oper. 747.

etiam ferissima cicuratur animalia. Hæc ego ridens, Piscem verò repositum, aiebam, non trahimus in medium, qui proverbio est nobilitatus? & Pythagoræ chænicem, cui prohibuit insideri, docens nos

semper aliquid de præsentī in futurū relinquere, & craftinæ diei hodie meminisse? Nobis quidē Bæotis in ore est semper, Relinque aliquid etiam Medis: ab eo tempore quo Medi Phocidem & extrema Bæot-

tuò autem & vbique id in promptu debet esse, Relinque aliquid etiam superventuris hospitibus. Quamobrem ego etiam Achillis inanem semper & famelicam improbo mensam. nam & Aiace ac Vlissè le-

Iliad., 206.

gatis ad ipsum venientibus, nihil parati habens de integro cogitur coquere & obsonio mensam instruere: & rursus Priamum volens comiter tractare,

Proripuit sese, & candentem protinus agnum

Iliad. w, 621.

Mastravit: — quo diuidendo assandoque maiorem noctis partem consumsit. Sed Eumæo, sapiens videlicet viri sapiens alumnus, nihil negocij exhibuit Telemachi advētus. statim enim ei ad mensam collocato cœnam præbuit, lances apponens plenas

Assatæ carnis, cœnæ de nocte priori

Odyss. π, 50.

Reliquias. — Quòd si hoc vile videbitur, illud certè exiguum non est, appetitum posse inhibere dum adhuc fruendi adest copia. minùs enim absentia concupiscunt, qui adsueverunt abstinere præsentibus. Sub hæc Lucius, Audiuisse me ex auia memini, mensam esse sacram: porrò autem sacrarum rerum nullam debere esse inanem. Mihi verò, inquit, mensa etiam terræ videtur esse simulacrum. nam præterquàm quòd nos alit, rotūda etiam est, & stabilis, & rectè Vesta à quibusdā appellatur. Sicut ergo terram volumus semper aliquid nobis vtile producere & efferre: ita censemus mēsam quo-

que nunquam debere vacuam, & omni destitutam apparatu relinqui.

QVAESTIO QVINTA.

Maximè cauendum esse à voluptatibus, quas deprauata praebeat musica: & quomodo sit cauendum.

PYTHIIS Callistratus Amphictyonum procurator, tibicinem quendam ciuem amicūque, 10
cū is ad nomen dandum praeſtò in tempore non venisset, certamine secundum leges arcuit. nobis autem conuiuium praebens, eum adduxit, veste & fertis tanquam in certamine vnà cum choro eleganter ornatum. Et erat me hercle initiò scitus eius can- 15
tus. Sed deinde cū facto de conuiuis periculo sensisset plerosque eò inclinare, vt voluptatis gratia eum quidvis sinerent facere, lasciuosque cantus tibiae admitterent: iam sese aperiens, ostendit musicam quouis magis vino dementare eos, qui promiscuè & effusius ea sese oblectant. nam accumbentibus non iam sufficebat clamare & plaudere: sed plerique tandem etiam proſiluerunt, & vnà motus illiberales ediderunt, istis numeris & carminibus convenientes. Postquam finem fecere, & conuiuium quasi è furore quodam ad se rediit, voluit qui- 20
dem Lamprias dicere aliquid, & adolescentes liberè obiurgare: tamen verenti ne nimis morosus molestusque videretur, ansam quasi praeſtuit hac sua oratione Callistratus. Intemperantiae, aiebat, crimine 30
ego soluo studiosos audiendi & spectandi. non tamen prorsus adſentior Aristoxeno, qui hisce solis voluptatibus ait accini, Pulcrè. Nam & obsonia & vnguenta pulcra vocantur, & pulcrè se vixisse aiunt, qui suauiter ac sumtuosè cœnauerunt. Videtur autè Aristoteles etiā non iustā adferre causam, cur solae delectationes spectaculorum & auditionū intemperantiae cul-

*Voluptatū
discrimen.*

riæ culpa vacent : quia scilicet hominis eæ sint propriæ, reliquæ etiam à brutis percipiuntur. Video enim multa horum quoque musica demulceri : vt seruos fistulis. & equabus cùm iueuntur, hippothorum accinunt modum. Et Pindarus cantilena se ait motū fuisse in morem marini delphinis,

In pelago quem dulce melos quieto

Exciuit: *

10 saltantes autem capita attollunt, ad spectu gauden-
tes, & histrionum imitatione hac illac humeros iactant. Non ergo video quid propriæ hæ voluptates habeant, quia solæ sint animi, reliquæ corporis, & in corpore desinētes. cātus autem, rhythmus, saltatio,
15 quæ gaudio adfici potest, suam delectationem insingunt atque pruritum. Itaque harum voluptatū nulla est occulta, neque tenebris & parietum (vt mulieres aiunt) ambitu opus habent: sed stadia his & theatra sunt parata, & cū multis spectare aliquid aut audire est iucundius atque honestius: nimirum nobis non intemperantiæ & luxuriæ, sed liberalis elegantisque oblectationis testes ad discipulis quamplurimos. Hæc cū disseruisset Callias, Lamprias vidēs
20 istos auditionum choragos etiam magis efferri animis: Non hæc, inquit, causa est fili Leonis. Sed mihi videntur prisca Bacchum non rectè filium Oblivionis fecisse, cū patrem debuerint. Hoc enim tu quoque, puto, inductus non reminisceris quod eorum
25 quæ circa voluptates cōmittuntur peccata, alia intemperantiam, alia ignorance & errorem habēt causam. Nam vbi damnum conspicuum est quod dabitur, ibi intemperantia homines rationem vincente delinquant. vbi non statim aut palam merces incontinētiæ tribuitur, hæc ignorance rei damnosæ peccant.
30 Itaque eos, qui in cibo, potu, re venerea modum excedunt, vnde morbi multi, pecuniæ perditio, & mala fama sequuntur, incontinentes dicuntur, qualis

Theodectes ille ex oculis laborans amica superueniente dicens, Vale carum lumen. & Abderita Anaxarchus:

*Is namq; ut perhibent, miserè prudensq; sciensq;
Vixit. quippe uoluptates amplexa stupensq;
Natura (haud paucis ea formidata Sophistis)
Retrorsum ad uitium recto de tramite agebat.*

Quos autem ventris, pudendorum, gustus, olfactusque voluptatibus repugnantes iis ne capiantur & si ubi cauentes, aliæ circumveniunt, insidiosæque per oculos aut aures subeunt: ij etsi non minùs laborant quàm illi, atque afficiuntur, non perinde tamen intemperantes incontinentesque vocamus. non enim scientes, sed ob imperitiam labuntur: & putant se voluptatum victores esse, si in theatro totū diem sine cibo & potu exigāt. perinde ac si olla eo se iactet, quòd ventre aut fundo appræhensio non moueatur loco, cum auribus arrepta facile transferri possit. Ita que Arcefilays aiebat nihil interesse, posteriorine corporis an priorè parte quis cinædus esset. Est autem timēda etiam mollicies ea & voluptatis studiū, quo aures & oculi titillantur. Nam neq; urbem censendum est capi non posse, si cum reliquis portas orbicib. vestibibus, cataraetis munitas habeat, vna tamē sit quæ hostes intromittat: neq; in victus à voluptate est, quem si non venus, at musæum aut theatrum ceperunt. nihilo enim minus à via recta declinauit, animamq; voluptatibus agendam ferendamq; prodidit. eæ verò vehementiora quàm vllus coquus aut vnguentarius medicamenta, magisque varia cantilenarum & rhythmorum ingerētes, his nos capiūt, ac corrumpunt, nostro ipsorum damnatos quodammo testimonio. Etenim obsonia quidem repræhensionem merentur nullam, neque si quis permutet (ut est apud Pindarum) in mensis quæcunque tellus ac maria suggerunt appositis iuxta panibus. Sed neque obso-

obsonium vllum, neque cibus, neque optimum hoc potum vinū ita voluptate perculerint: vt modò cātus tibiē & moduli domum, si non etiam vrbem, impleuerunt tumultibus, plausibus, cōclamationibus.

5 Quare maximè ab huiusmodi cauendum est voluptatibus. sunt enim validissimæ: vt quæ non circa gustum, tactum, olfactum, in partem animi brutam desinant: sed ipsam intelligendi ratiocinandiq; facultatem attingant. Ad hæc à reliquis voluptatibus, etiam vbi ratio non repugnat satis valide, tamen aliæ sæpenuerò affectiones nos abstrahunt. nam & in foro piscario sordes annulum obsoniorum cupido auferunt, & à sumtuoso scorto parsimonia absterret, * aut riualitas. sicvt apud Menandrum scilicet apud lenonem compotorum vnusquisque, eo per insidias proteruam producente puellam cuiuis,

Edebat, in sese intuens, bellaria.

est enim grauis pœna intemperantiæ pecuniam fenore accipere: & non vsque adeò facile est crumenam soluere. At hæ voluptates, quæ liberales dicuntur, quāsque infano tibiarum & musices amore capti sectantur, & aures oculósque iis habent deditos, vndique percipi possunt, in certaminibus, in theatris, in conuiujs, alijs sumtum præbentibus. Propterea 25 facilè ab iis corrumpuntur, qui non habent rationē pædagogi loco tutantem & regentem. Facto silentio, Quid inquā, faciet ergo ratio, quid dicet vt nos feruet? neque enim opinor aurium illa Xenocrateæ opercula circumponet, neq; è media cœna abiget, 30 cū audiemus lyram componi, vel tibiam moueri. Tum Lamprias, Nequaquam, inquit. Sed quoties istæ nobis offerentur delectationes, Musæ sunt accersendæ, confugiendūque in priscorum Heliconem. qui enim sumtuosam amat, ei non possumus Penelopē adducere, aut Pantheam nuptū tradere. At qui mimis gaudet, cantilenis, ac carminibus mala arte prauaque imitatione conditis: hūc possumus ad Eu-

Phædro, ripidem, Pindarum, Menandrum traducere, falsumque auditum (vt Plato ait) potabili oratione proluere. Nam sicut magi à malis genis occupatos iubent secum legere & recitare Ephesia nomina: sic nos in istis preludiis & saltationibus, ubi furores sunt & clamorationes bellicæ cum tumultu & ceruicum iactatione: sacrarum & venerandarum istarum memores litterarum, & iis comparantes cantilenas, poemata, * inanésque orationes, non percellemur istis, neque nos obliquos quasi rapido amne ferendos dabimus. 10

QVÆSTIO SEXTA.

De umbris, quas vocant: & an ab alio vocatus ad alios ad cenam ire debeat, ac quando & ad quos. 15

Quæsitum fuit quando mos ceperit vt ad cenam venirent vocati non ab eo qui præbet cõviuium, sed ab aliquo eorum qui inuitati sunt: umbras vocant, qui hoc pacto veniunt. Videbatur autem Socrates autor, qui Aristodemo persuasit vt non inuitatus secum iret ad Agathonis conuiuium. & quidẽ ridiculè evenit Aristodemo vt Socrate in via subistẽte ipse prior ingrederetur, nimirum umbra corpus præcurrens quod à tergo lumen habet. Posterioribus autem temporibus in excipiendis conuiuiis hospitibus, maximè principibus viris, necesse fuit, cum ignoraretur quĩnam eos sequerentur, quosve ij magnificerent, conuiuatori facultatem invitandi integram relinquere, numero quidem certo constituto conuiuarum: ne id ei vsu veniret, quod aliquando Philippum regem ruri inuitanti accidit. venit enim rex ad cenam multis comitantibus, non multis apparatam hominibus. ibi cum videret hospitẽ esse anxium, circummisit qui amicos clam moneret, vt locum placentæ relinqueret: cuius expectatione cum illi parcius vescerentur appositis, cœna omnibus fuffe. 20 25 30 35

suffecit. Hæc ego cùm ad præsentēs veluti nugās di-
 xissem, placuit Floro ut serio de vmbribus istis disqui-
 reretur, deceretne eum qui sic invitaretur obsequi,
 & ad conviuium accedere. Ac gener quidem eius
 5 Cæsernius totam rem improbabat. Maximè, aiebat,
 Hesiodo est obtemperandum, & amici ad cœnā vo-
 candi: proximum est, ut notos & necessarios inuite-
 mus ad communicationem libationum, mensæque
 & sermonum qui in vino habentur, atque iocorum.
 10 Nunc quemadmodum qui nauigia locant, impedi-
 menta etiam sua eos quos vehunt iniicere sinunt: ita
 nostra nos conviuiā aliorum potestatis facimus, sin-
 mûsque ea quibusvis hominibus impleri, siue apti ij,
 siue inepti sint. Mirer verò si quis scitus homo ad
 15 conviuium veniat à conviuiā inuitatus, quod idem
 est atque non inuitatus, quem conviuij autor plerū-
 que etiam non nouerit. & si notus ei, vîsque aliquo
 coniunctus tamen vocatus non sit: maius iam dede-
 cus fuerit ad eum ire, ac cōviuij eius inuiti quasi ex-
 20 probrantem, velle tamen vi quodammodo fieri par-
 ticipem. Priorem porrò vel tardiorē eo qui inuita-
 uit ad alium venire, habet aliquid pudorem incuti-
 ens: neque ciuile est tot testibus apud conviuias o-
 25 pus habere, quibus doceas te non inuitatum, sed vm-
 bram venire. rursus sectari & obseruare aliquem dū
 is lauet & vngat se, aut ire velit, cunctantem vel pro-
 perantem, illiberale sic satis est & gnathonicum: si-
 quidem Gnato fuit homo aliena edendi callentissî-
 30 mus. Iam cùm nullibi magis locum habeat, Effare lin-
 gua si quid iactare mediocri cupis, quàm inter pocu-
 la, vbi plurimum libertatis & facetiarū adest iis quæ
 dicuntur & aguntur: quomodo hæc sese gerere debe-
 at, qui non genuimus neq; vocatus conviuiā sit, sed
 35 spurius quodammodo in censum conviuiarum irre-
 pserit? nam & uti, & non uti libertate aduersus præ-
 sentes, obnoxium est calumniæ. Neque parum inest
 mali in ipsa nominū leuitate & scurrilitate, cùm quis

Oper. 340.

nomēn vmbrae nō fert iniquē, sed ita appellatus fert
 atque respondet. nam turpibus nominibus vtendo
 homines etiam ad rerum turpitudinem adscuescūt.
 Itaque ego alios inuitans, vmbrae quoque iis con-
 celsi: (est enim valida vrbis consuetudo) ipse vmbrae
 loco vocatus adhuc resisto, neque venio. Sub hac
 verba cū esset quietum, Florus: Hoc, inquit, poste-
 rius plus habet perplexitatis. Nam sic inuitare ne-
 cesse est cū hospitibus conuiuium paramus, sicut
 antē dictum fuit. quia neque absque amicis eos exci-
 pere par est, neq; facīle scitu quibus cum amicis ho-
 spes advenit. Tum ego ad ipsum, Vide ergo, in-
 quam, an qui sic inuitandi facultatem dederunt, etiā
 inuitatis dederint obtemperandi & ad conuiuium
 adeundi. non enim convenit dare aut petere, quod
 dare honestum non sit: neque hortari ea ad quae nō
 decent, neque assentiri & agere ea pulcrum. Sanē
 quod ad principes & peregrinos attinet, locus inui-
 tationi & delectui non est, sed qui cum iis venerunt
 accipiendi sunt. Aliās autem qui cōuiuium praebet,
 amicus agit si amicum vocet, cū non ignoret suos
 notos, familiarēque & necessarios. maior enim ho-
 nor tribuitur, maior initur gratia, cū non occultē
 ferat se tales maximē amplecti, cum iis lubentissimē
 degere, iisque gaudere honoratis aequē & vocatis.
 Est tamen vbi id amici voluntati liberum debet re-
 linqui. Et quemadmodum deo sacrificantes, quibus
 idem templum, eadem est ara, iis communiter vota
 faciunt, neque seorsim eos nominant * * Non e-
 nim obsonium, non vinum, non vnguentum tantam
 voluptatem adfert, quantam vnā accumbens ami-
 cus gratusque conuiua. Enim verō quærere atque
 percunctari, quibus obsoniis, quibus bellariis, quo
 vini genere, quali vnguento maximē delectetur is
 qui conuiuiū est excipiendus: nimis est importunū
 atque insolens. non absurdum neq; iniucundum ta-
 men, ei qui multos habet familiares, amicos, necessa-
 rios,

rios, mandare vt ipse secum ad cōviuium adducat, quorum præsētia maximè ei sit suauiſ atque accepta. Nam neque nauigare, neque habitare, neque in foro versari quibus cum nolis, ita molestum est, vt vnà cum quibus nolis, in conuiuiu adeste: contrarium verò iucundissimum. Est enim conuiuium communio seriorum, iocorum, actionum, & sermonum. itaque non quivis id frequentare debent, sed amicitia inter se devincti & familiares, vt suauius hoc fiat. Quippe cibos quidem coqui diuersorum saporum apparant, austeros, pingues, dulces, acresque inter se permiscentes. cōviuium autem bonum esse nequit & gratiosum, in quod homines diuersarum gentium & affectionum coniecti sunt. Ceterum quemadmodum Peripatetici aiunt esse quoddā primum mouens, quod ipsum non moueatur: & extremum quod moueatur, neq; vim ipsum mouendi habeat: inter hæc quod & motū adferat aliis, & ab aliis ipsum quoq; moueatur. ita ratio docet tres esse in conuiuali re: vnum qui inuitet duntaxat, alterum qui duntaxat inuitetur, tertium denique, qui & inuitetur & inuitet. De primo dictum est: neq; abs re fecero, si de reliquis etiam quid mihi videatur exposuero. Is ergo qui ab alio ad cōviuium vocatus alios eodem inuitat, primum, ni fallor, multitudine debet abstinere, neque tanquam ex hostico cōmeatum petens omnes suos secum ad cœnam rapere: neque instar eorū qui oppida capiunt multitudine nimia suorum amicorum amicos regis exturbare & elidere: quo fieret, vt qui conuiuium præbet, eadem fortuna vteretur, quā ij qui Hecatæ & auerruncatoribus geniis cœnas exponunt, de quibus nihil ipsi aut familia gustant, fumo interim & molestiis vexati. Aliàs in nos ludunt, qui dicunt,

Delphis sacra re facta, nunc carnes emit.

sed id verè accidit iis, qui hospites importunos, aut amicos exceperunt multis vmbriſ stipatos: qui har-

pyiarum in morem cibos differunt atq; depopulantur. Secundum est, ut non quibusvis sibi adiunctis ad alios cœnatum eat, sed præcipuè inuitet conviatoris amicos & familiares, quasi cum illo certamine inito antevertens vocationem. Si id non datur, secum ducat de suis amicis, quos ipse rex vellet à se vocatos: humano adducat nimirum humanos, erudito eruditos: & quos cœviuij præbitor voluisset quoque modo alloqui, cumq; iis vsum aliquem familiaritatis contrahere. Est enim haud dubiè argutum & urbanum, hoc modo affecto regi occasionem noticiæ & comis consuetudinis parare. Qui verò diuersæ factionis & inconcinnos secum trahit, (puta si ad sobrium bibaces, frugali sumtuosos, iuueni potiori, senes austeros, graueloquentes, & barba sapietiæ professionem ostentantes adferat) intempestius est, quod amici congressus loco insuauitatem quandam introducat. Etenim oportet vocatum non minus conviuium præbenti, quàm hunc vocato iucundum esse, quod fiet, si non se modò, sed & quos secum adducit, commodos comèsque præstet. Qui superest tertius, ab alio ad aliud inuitatus, is si nomen vmbre repudiat atq; ægrè fert, omnino videbitur vmbra metuere. Ipsa tamen res maximam requirit cautionem. Nam neque est honestum promtè quem vis sic vocantem comitari, neque temerè. Principiò considerandum, à quo voceris. Si non admodum familiaris sit, sed diuitum aliquis & satrapicorum, qui vel uti in scena opus habeat satellitio splendido, aut putet se admodum magno honore adficere & præclarè demereri eum quem secum ducere vult: statim recusandum est. Si amicus inuitet & familiaris, non facile assentiendum est. sed tum demum cum videbitur opus habere colloquio aliquo & communicatione aliam opportunitatem non inueniente: aut longo post reversus tempore, vel discessurus ostendat se benevolentia ductum cupere socium te cœnæ sibi

*Vmbrarum
convivialium
decorum.*

*

sibi habere : & neque multos, neque alienos, sed vel
 solum te, vel cum paucis amicis adducat : aut præ-
 ter hæc omnia id agat, vt vocato cum conuiatore
 5 probo homine & amicicia digno aliquod consuetu-
 dinis & amicicia conciliet principium . Nam mali-
 quidem, quanto magis nos apprehendere student,
 tanto magis sentium instar amoliendi & transilien-
 di sunt. & si probi ad non probos ducant, nequaquã
 est obsequendum, neque admittendum, vt tanquam
 10 per mel sumas venenum, amicum parando prauum.
 Absurdum etiam est, ad omnino ignotum & cū quo
 nihil tibi vnquam familiaritatis fuerit ire : nisi quis
 sit (vt dixi) virtute præstans, qui amoris & amicicia
 hoc statuatur exordium, si faciliè & candidè eum alio
 15 ducente accedas. Atque adeò ad familiares quoque
 potissimum eos eundum est vmbre cōditione, qui-
 bus permissum est ad nos quoq; adductis vmbri ve-
 nire. Philippo quidem ioculari scurræ videbatur ma-
 gis mouere risum qui invocatus, quàm qui vocatus
 20 ad cœnam veniret . Bonis autem viris & amicis ad
 bonos & amicos honestius est ac suauius, si ad non
 vocantes inexpectati accedant cum aliis amicis. ita
 enim simul & conuiuium præbenti læticiam, & ho-
 norem ducentibus parant. Minimè omnium ad du-
 ces, aut diuites, aut potentes ire decet non inuita-
 25 tos ab ipsis, sed ab aliis. cauenda enim est non planè
 carens ratione impudentiæ, ruditatis, & ambitionis
 opinio.

*

*

*

30 Menelaum Homerus fingit vltro venire ad Agame-
 nonem, cū is conuiuium excepisset præstâtissimos
 Græcorum :

Soliciti agnoscens ualdè anxia pectora fratris.
 idè errore eius noluit detegere & arguere non ve-
 35 niendo. quod morosi faciunt, & reprehendendi cu-
 pientes : qui huiusmodi erroribus amicorum in-
 diantur, magisque gaudent negligi quàm honorari,

lib. B. 408

vt conquerendi habeant occasionem.

QVAESTIO SEPTIMA.

An tibicina sint adhibenda conuiuio.

In Symposio.

lib. 7, 629.

CHAERONEAE in conuiuio praesente Diogeniano Pergameno disputatum fuit de acroamatis siue auditionibus. Ibi negotium nobis exhibuit sophista quidam prolixam gerens barbam, Stoicæ sectæ homo, Platonem allegans qui culparet tibicinam inter pocula adducentes, cum ipsi colloquio invicem se oblectare nequirent. Philippus verò Prusienfis ab eadem secta, qui tum vnà aderat, missos facere iubebat illos Agathonis conuiuas, qui quavis tibia, quovis musico instrumento suavius sonarent. non enim id mirum fuisse, si ipsis praesentibus nullus tibicinæ locus relinqueretur: sed hoc, si non cibi etiam potusque obliuio praevoluptate & delectatione conuiuas cepisset. At verò Xenophon (aiebat) pudori non duxit sibi, cum Socrate, Antisthene, aliisque hominum similibus praesentibus Philippum scurram adduceret, eumque, sicut Homerus cepam, condimentum vini conuiuis ostenderet. Plato quoque cum Aristophanis de amore sermonem veluti comœdiam suo conuiuio inseruit: tum ad extremum foribus, quod aiunt, apertis introduxit drama quammaximè de variis vinum, Alcibiadem ebrium, & comesantem eumque coronatum. Iam iocosa illa cum Socrate de Agathone cœcertatio, & Socratis laudatio, fasne est, bonæ Gratiæ, quod Apollinem cum concinnata lyra in conuiuium venientem, conuiuæ obsecrauerunt vt tantisper sileret, dum oratio isthæc absolueretur? Ergo cum isti viri, tanta in differendo venustate praediti, nihil minus vti sunt adscitis rebus, ac iocis huiusmodi varietatem suis conciliauere conuiuiis: nos qui ciuilibus & forensibus, atque adeo si ita vsu veniat rudibus & agrestibus non nihil hominibus permiscemur, hanc è conuiuiis exturbabimus elegantiam atque oblectationem, aut inde nos proripiemus, tãquã Sirenes ad-

adventantes si fugeremus? Equidem admirationē
sui excitavit Clitomachus athleta, surgens & disce-
dens, cum amatorius sermo inferretur. Philosophus
verò tibiam ē convivio fugiens, aut psaltriam me-
tuens fides concinnantem, facigerumq; iubens cum
clamore celeriter lumen accēdere, ridiculus nō sit,
innoxias omnino voluptatis, sicut canthari vnguen-
ta, abominans. Nam sicubi aliās, maximē inter pocu-
la alludendum hisce rebus est, animusq; deo deden-
dus. Mihi quidē alioqui carus Euripides, suam legē
neutiquā persuasit, musicam ad luctus & mœsticias
transferendam statuēs. ibi enim medici loco assiste-
re ægrotantibus debet sobria & industria ratio: hu-
iusmodi verò Baccho admiscere voluptates, & ludū
iocumq; deputare convenit. Est verò scitum illud
Laconis, qui, cum Athenis novi certarent tragœdi,
spectans apparatus choragorum, studia docentiū,
& conatus, dixit: Non sapere ciuitatem, quæ tantum
in res ludicras impenderet studium. Omnio enim
ludendo ludendum est, & neque magno sumtu, neq;
neglectiōe occasionum ad alias res vtiliū redimen-
da animi relaxatio: sed inter pocula & per ociū de-
gustandæ hæ oblectationes, interimq; dispiciendum
si quid ex iis percipi possit utilitatis.

*Medea, cho-
ri verba.*

QVAESTIO OCTAVA.

Quænam potissimum acroamata cœnæ sint adhibenda.

His dictis sophistam rursus volentem repugnare,
Ego inhibens, Id potiùs, inquam, considerandū
est Diogeniane, quodnam de multis acroamatū ge-
nus convivio sit accommodatum, hortemurque sā-
pientem hunc vt diiudicet. cum enim nullo afficia-
tur, nullo demulceatur, nihil periculi est ne per er-
rorem suavius meliori præferat. Tum ille, Diogeniā
no & nobis hortantibus, nulla interposita mora: Cæ-
tera, inquit, in orchestram & scenam reiicio: id verò
introducō, quod nuper Romæ itrepsit in convivia,

*Platonis
dialogi in
cens acti.*

neq; adhuc apud multos cernitur. Nostis nimirum Platonis dialogos partim narratione, partim actione quadam constare, qui ideò dramatici dicuntur. De his facilimos pueri edocentur, ita vt memoriter recitent. adiunguntur autem gestus convenientes personarum moribus, & vocis effictio atque forma, & affectiones dictis congruæ. Hæc austeri quidem & eruditi maximo opere probauerunt. effeminati, & quorum aures inscitia atque bonarum imperitia rerum corruptæ essent, quos Aristoxenus bilem aiebat vomere si enharmonium cantum audirent, expulerunt. Neque mirer expulisse, mollicie omnino obtinente. Hæc Philippus nonnullos videns iniquiùs hæc ferentes: Desine, inquit, mi homo nobis convicium facere. Nos enim sumus, qui primi rem istam, cum Romæ introduceretur, ægrè tulimus, reprehendimusque eos, qui putarent Platonem debere in vino animi causa & ludi audiri, contenderentq; eius dialogos ad vnguenta & bellaria audiendos esse. quãdo etiam Sapphûs & Anacreontis carmina si recitentur, verecundia ductum me debere poculum deponere arbitrarer. Multa verò mihi in mentem veniunt, quæ si proferam, metuo ne seriò adversus te differuisse videar. itaque, vt vides, vnà cum poculo id sodali tribuo, vt dulci sermone falsum auditû demulceat. Excipiens tunc eum Diogenianus: Atqui & hos, inquit, audio sobrios sermones, ita vt vinum nobis non videatur imperare. metuo ne ipse crimen subeam. Et sanè multa acroamata sunt amputanda.

Tragedia. Primum tragedia, non admodum ea conviui apta, vt quæ grauiùs sonet, moliatúrque imitationem rerû animo ingentes motus inferentium, & miserationē excitantium. A saltatione porrò Pyladeam removeo, tumidam scilicet, & adfectuum plenam, multasque requirentem personas. Quòd si tamen locus est Socraticis istis saltationis laudibus, Bathylleam admitto, pedestre, & cordaci affinem, Echoni, aut Pani alicui

Saltatio.

alicui aut Satyro cum Amore comefanti, saltando *
 respondentem. De comædiis, vetus ob inæquabi- *Comædia.*
 litatem non est bibentibus accommodata. Nam &
 quæ in auditorum compellationibus, quas paraba-
 5 ses appellant, libertas dicendi seria vsurpatur, nimis
 intemperans est atque vehemens: & leuitas con-
 ciandi ac scurrilitas admodum fastidiosa atque aper-
 ta, & repleta indecoris verbis, lasciuisque nomini-
 bus. præterea sicvt in principum conuiujs vnicuiq;
 10 accumbentium adstat pincerna: ita oportebit vni-
 cuique conuiuarum adesse grammaticum, qui sin-
 gula enarret, quis sit apud Eupolidem Læsmo-
 dias, apud Platonem Cinesias, Lampo apud Cra-
 tinum, ac alij qui in comædiis exagitantur. vt
 15 iam vel schola grammatica fiat conuiuium, vel
 surda & ignota dicteria differantur. Quid dicam
 de noua comædia, quæ ita conuiujs immixta
 est, vt facilius ea sine vino, quàm sine Menandro
 peragantur? Nimirum enim & dictio iucunda ac *Menandri*
 20 pedestris rebus inspersa est, vt neque à sobrijs con-
 temnatur, neque ebrijs sit molesta: & vtilis sen-
 tentiæ atque simplices vnà fluentes, etiam du-
 rissima ingenia per vinum velvti ignem molliunt,
 & ad mansuetudinem flectunt: tum seriorum cum
 5 iocis contemperatio nullam aliam ad rem facta vide-
 ri potest, quàm vt eos qui bibere & animos relaxa-
 runt, simul & oblectet & iuuet. amatoria quoq; eius
 locum habent apud eos qui biberunt, & paulo pòst
 dormitum ad suas vxores abeunt. nam neque puero-
 10 rum amor in Menandri est comædiis: & vitia virgi-
 nibus oblata, commodè in nuptias vertuntur, mere-
 trices si introducuntur procaces & feroces, castiga-
 tionibus aut pænitentia adolescentum amores ea-
 rum diffinduntur, si probæ, & vicissim amantes: aut
 pater alicuius inuenitur verus, aut tēpus amori præ-
 scribitur consuetudinem verecundam humanamq;
 habenti. Hæc vt hominibus alia in re occupatis vide-

antur nullum habere operæ precium : ita inter bibendum non miror si iucunditas eorum & elegantia nō nihil facit ad effingendum componendumque animos, morésq; ad humanitatem conformandos. Sub hæc verba Diogenianus siue fine siue intervallo factō tacuit. Cum autem sophista rursus eum adoriretur, & quædam Aristophanis assereret carmina recitanda : Philippus me compellans, Hic quidem, inquit, suæ satisfecit cupiditati, suauissimum sibi Menandrum laudando : videturque reliquorum porro nullam habere curam. Sunt autem multa adhuc acroamata, de quibus nihil nobis disputatum est, & ego ex te aliquid audire pervelim. nam de certamine eorum qui animalcula sculpunt, cras agemus, si hospiti & Diogeniano ita videbitur. Sunt ergo, dicebam, mimi, quorum alij argumēta, alij ludicra appellantur : neutrum, vt ego arbitror, genus conuiuiō conueniens, argumenta ob longitudinem actiōnum, & sumtuum difficultatem : ludicra, quòd ita scatent furrilitate & inanitate verborum, vt ne à puerulis quidē, qui dominis modestis calceos portāt, spectari ea deceat. quanquam multi etiam vxoribus iuxta accumbentibus & impuberibus filiis imitationes ostentant rerum & verborum, quæ magis quavis ebrietate animos perturbant. Enimverò cithara antiquitus, & iam inde ab Homeri temporibus eo nomine nota fuit, quòd socia conuiuij esset : ac tam diuturnā amiciciam atque sodaliciū non convenit divellere. id modò à citharædis petamus, vt nimios luctus & gemitus è carminibus eximentes, boni omnis modos & genio indulgentibus accommodatos sonent. Tibiam, ne si velimus quidem, à mensa arceret licet. nam libationes eam exigunt vnā cum corona, & vbi præani accinens diuinum cultum absoluit, suauī cantu desinens per aures transit, iucunda eas perfundens voce, quæ tranquillitatem ad animū penetrantem efficit : vt si quid tristitiæ & curarum

mero

*
Mimi.

Tib. a

mero non sit discussum, id venustate & mansuetudine cantilenæ circumventum conquiescat. si quidem modum tibia non excedat, neque nimios animo adferat motus, eum ve exagitet atq; extra se rapiat multitudinem sonorum atq; modulorum emollitū, & ad errandum procliuem redditum. Nam sicut pecora orationem hominis non intelligunt, sibilis autem & palpationibus accuratis, & fistulis aut conchis excitantur ac sopiuntur à pastoribus: ita quod anima habet pecoris & gregis naturam resipiens, rationisque non capax, neque eius dicto obtemperans, cantilenis & rhythmis incantantes componere solēt ac pacare. Verum si mihi dicendum sit quod sentio, nunquam vel tibie vel lyre cantus absque sermone & oda delectaturus conviuum videtur. Sic enim ad-
 *
 suefcendum est studio se, ut ludos quoque & iocam sine liberali sermone obeamus: cantilenam, rhythmumque tanquam condimentum colloquio adhibeamus, non seorsim usurpemus, aut delicatule in iis luxuriemus. Quemadmodum enim voluptatem in vino & cibo una cum nutrimenti utilitate subeunt, nemo aspernatur: vnguentariam autem, utpote ociosam & supervacaneam Socrates veluti alapa inflata eiecit. ita psalterij vocem aut tibie aures ferientem non audiamus: tum demum admittamus, quando cum docto carmine coniuncta nos inuitat & oblectat. Existimo etiam Marsiam illum à deo fuisse supplicio adfectum, quod capistro & ribis cum sibi os obthurasset, ausus fuit nudo cantu decertare adversus odam citharæ coniunctam. Id vnum caueamus, ne conviuis qui litterato colloquio oblectare se invicem possunt, aliquid tale ad aures admoueamus, quod impedimentum potius sit delectationis, quam delectatio. Non enim ij duntaxat stulti sunt, qui domi & à se habentes salutem,

Aliunde aliam sibi volunt adsciscere,
 ut ait Euripides: sed & hi qui cum in se ipsis multa legunt

ticiæ habent reposita instrumenta, id magno studio agunt, ut delectantia extrinsecus accersant. Admodum certe inepta & rustica habetur regis Persarum adversus Antalcidam Spartanum magnificentia, quando coronam e rosa & croco confertam in unguentum intingens ei misit, nativa pulcritudine extincta, factaque floribus iniuriæ contumelia. Simile tamen est convivis, qui in sese venustatem & musicam habent, obturbare tibiis ac psalteriis, & alienam extrinsecus allegando propriam atque domesticam perdere delectandi rationem. Maximè acroamatibus locus fore videtur in convivio fluctuante, & ad litem contentionemve aliquam se accingente, ut vel convicia aliqua aboleantur: vel quaestio proposita quæ ad ingratum certamen & contentionem sophisticam effeferat, tollatur: vel rixa concionalis aut forensis inhibeatur, donec de integro placidum ac tranquillum fiat convivium.

Q V A E S T I O N O N A.

*Inter vinum deliberare, non minus Græcum fuisse
quàm Persicum.*

IN cœna quam nobis Nicostrotus præbebat, disputabamus de argumento, quod Athenienses erant in concione tractaturi. Et cum quidam diceret nos Persicum sequi morem, qui consultaremns inter pocula: excipiens verba eius Glaucias, Quam magis, inquit, Persicum, quàm Græcū. fuit verò Græcus qui dixit,

Consilium melius capietur uentre repleto.

Græcis quoque cum Agamemnone Ilium obsidentibus, dum ederent ac biberent, cepit

Consilium sapiens primus tum texere Nestor:

cum quidem hac ipsa de causa autor regi fuisset, ut præstantissimos ad convivium inuitaret.

Iliad. II, 70.

Tu cœnam senibus præbe. —

Collectis multis, qui consulet optima pare.

Itaque

Itaque etiam Græcia, quæ plurimis vſa eſt bonorum
inſtitutorum generibus, & maximè à priſca gente
vſurpatis, in vino eorū collocauit primordia. Nam
quæ apud Cretenſes Andrea, quaſi virilia, apud Spar
tanos Phiditia, quaſi Frugalia, quondam erant, loco
arcanorum conciliorum & conſeſſus optimatū fue
runt. ſicvt, puto, etiam quod hîc eſt Prytaneum, &
Theſmotheſion. neq; procul hinc abeſt nocturnus
apud Platonem conuentus præcipuorum ac reip. ge
rendæ gnariſſimorum virorum, in quem res maxi
mæ & deliberationem requirentes arduam reiiciun
tur. Qui autem vltimo

Mercurio libant, cùm iam dare corpora ſomno

Odys. 1, 138.

Eſt animus, —

nónne coniungunt cum
vino rationem: quando vt præſenti & vnâ diſpicien
ti prudentiſſimo deo vota faciūt iam diſceſſuri. An
tiquiſſimi verò ipſum Bacchum, tanquam nihil Mer
curij egentem, Eubulen (hoc eſt bonum conſiliariū)
& eius gratia noctem Euphronem quaſi prudentiæ
aptam appellauerunt.

QVAESTIO DECIMA.

Reclêne fecerint, qui inter pocula deliberauerunt.

HÆC cùm Glaucias diſſeruiſſet, cenſuimus tur
bulentas iſtas diſputationes ſatis commodè ſe
datas eſſe: quæ vt eo magis obliuione cōtererentur;
Nicoſtratus quæſtionem in medium proponens ita
locutus eſt: Antehac inſtitutū iſtud mihi nō magnæ
fuit curæ, vt qui id pro Perſico haberem. nunc quia
depræhenſum eſt Græcū eſſe, ratione videtur opus
habere, qua defendatur ab evidente abſurditate.
Etenim ratio tanquam oculus in humido quod flu
ctuet, agitare ſeſe commodè nequit, eſtque ineffi
cax. tum quidquid moleſtum nobis eſt, id quaſi re
ptilia à ſole, exagitatū vndique & ſeſe proferens,
iudicium animi facit lubricum & inconfans. Itaque

sicvt lectus bibentibus quàm sella est commodior,
quia corpus continet ille, & omnis motionis vacuū
præstat: ita maximè conducit animam in quiete fer-
uare: aut si id fieri nequit, sicvt pueris vbi quiescere
non possunt, neq; hastam neq; gladiū porrigemus,
sed crepitaculum vel pilam. quomodo etiā Bacchus
ferulā ebriis tradidit, leuissimū telum & mollissimū
defensionis instrumentum, vt cū celerrimè teriāt,
quamminimū lædāt. Ridiculi enim errores ebriis
sunt parandi, non miserādi aut tragici, magnāve tra-
hentes secū calamitates. Porro autē quod summum
est, vt in consultatione de maximis rebus imprudēs
atque rerum imperitus prudentes sequatur, & peri-
tis assentiat: hoc vinum ebriis adimit. ideoque Pla-
to etiam vino nomen ait factum οἶνον, quia efficit vt
qui bibunt, sapere se putent, οἷός τε αὖ νόμος ἔχειν. Nam ne-
que nobilis, neque pulcer, neque diues quisquā bi-
bentium sibi ita videtur, etiam si videatur, vt pruden-
tem sese opinatur. Atque hinc est quòd vinum lo-
quaces facit, intempestiuāq; garrulitate & animi ela-
tione præire autoritate omnibus volente implet:
quasi verò nostrum iam sit non audire, sed audiri po-
tius: non sequi, sed ducere. Verū hęc quidem faci-
lè quis collegerit, cū sint manifesta. Audiamus ta-
men si quis contrariam tueri sententiā velit siue iu-
niorum siue seniorum. Tum insidiosè omnino & so-
phisticè frater noster: An, inquit, existimas quen-
quam in hoc articulo temporis reperire posse ratio-
nes ad hanc quæstionem probabiles. Et cū Nico-
stratus diceret, omnino se arbitrari in præsentia tot
hominum qui & litteras humaniores & vinum ama-
rent fieri posse: renidens frater: Tu verò, ait, censēs
tandem te satis ad nos hac de re disseruisse, ad ciui-
lem autem actionem deliberandam ineptum à vino
esse redditum? an hoc non magis perinde est, ac si
quis putet bibentem oculis bene cernere, interim
* compellantes non exaudire, auribus percipere ta-
men

men exacte sonos cantorum ac tibicinū? Nam sic
 verisimile est sensum ad vtilia potius quàm ad ele-
 gantia converti: ita etiam cogitationes. Neq; ducar
 ego admiratione, si vino occupatum aliquid rerum
 philosophicarum subterfugiat animum. sed eundem
 ad considerationes rerum agendarum advocatū col-
 ligere se, & prudentia augeri probabile est. Ita Phi-
 lippus cū Charoneā per ebrietatem multa nu-
 garetur, essetq; ridiculus: simul atq; de pace & scē-
 dere ei oblata est mentio, vultum composuit, super-
 cilia contraxit, eiectisque animo vagis & lascivis mo-
 ribus, admodum bene deliberatum ac sobriū Athe-
 nienſibus responsum dedit. Sanè aliud est bibere,
 aliud inebriari: & qui ita abbibunt, vt iam delirent,
 eos censemus debere dormitum se conferre. Viri au-
 tem cordati non est quod metuamus ne, si largiū-
 sese potu invitent, ac conviuium protrahant, ratio-
 nis aut peritiæ suæ detrimentum patiantur, cū hi-
 striones aut citharistæ superveniūt. nihilo enim de-
 teriū in conviviis, quàm in theatris se gerent. quip-
 pe peritia insita corpus quoq; suis actionibus inte-
 grum, ac motus animi rectè comitans præstat. Mul-
 tis quoque proteruitatem, qua audacia adiuuari so-
 let merum inserit, non impudentem eam neque im-
 modicam, sed gratiosam & probabilem. Sic etiam
 Aeschylus fertur potus suas scripsisse tragœdias, o-
 mnēsque eas Bacchi fuisse: secus quàm Gorgias, qui
 vnum de Aeschyli dramatibus maximum, (quod
 inscribitur Septem ad Thebas) Martis fetum dixit.
 Nam cū, vt Plato ait, vinum vnà cum animo cor-
 pus calefaciat, agile reddit hoc, meatūque perrum-
 pit, visis cū audacia iunctis, sermonemq; proripien-
 tibus. Nonnulli enim ingenio ad inveniendū apto,
 sed dum sobrij sunt minus audaci & quasi concre-
 to, quando ad pocula ventum est, thuris in morem
 à calore correpti exhalant. Enimverò metum, quo
 nulla alia res magis impedimento est consultanti.

bus, vinum profligat: multas etiam alias adfectio-
 nes illiberales & degeneres exstinguit: & maligni-
 tatem ac similtates tanquam duplices animi (vt ille
 ait) plicas explicat: ac verbis omnes vtriusque gene-
 ris in animo adfectus detegit. Ad hæc libertatis di- 5
 cendi, ac per eam veritatis fecundissimum est vinū,
 quibus absētibz nihil peritia, nihil iudicij soler-
 tia prodest. Sed multi vino obsequentes potiùs præ-
 * clarè consulunt, quàm suam sententiam insidiosè &
 vafre occultent. Nulla ergo causa est, cur vinum for 10
 midemus, quia motus animi concitet. neque enim
 deterrimos excitat, nisi in pessimis, quorum nun-
 quam est sobria consultatrix animi facultas. sed sicut
 Theophrastus solebat constringas appellare, ebrietas
 vini expers & tristis inhabitat in animis inerudito- 15
 rum, perturbata ab ira aliqua, aut malevolentia, aut
 contendendi libidine, aut illiberalitate. quorum vi-
 tiorum pleraque retundens magis quàm acuens vi-
 ni vsus, non stultos aut futes redigit, sed callidos:
 non vtillum negligentes, sed honesto intentos. Qui 20
 verò versutiam pro calliditate, & vanitatem illibe-
 ralitatēque pro prudentia vsurpant, par est vt pro
 fatuis etiam censeant eos qui in vino simpliciter ac
 absque dolo suam exponunt sententiam. Contrà
 antiqui Bacchum Liberi & Lysij seu Solutoris no- 25
 minibus adfecerunt, & ei vaticinandi magnam ad-
 scripserunt facultatem. non, quod Euripides dixit,
 ob debacchationes & furores: sed quòd seruilem
 metum & infidelitatem eximens, eaque animum li-
 berans, homines inter se veritate dicen- 30
 diq; libertate vi doceat.